



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Supponitur & explicatur propria ac vera ratio subalternationis. cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Caiet. non concludit: nam quis duæ scientiæ conveniant in eodem fine ultimo, non habebunt æqualem dignitatem, si una alteri subordinetur, ut militaris civili: vel si nō ita subordinentur, ut finis unus referatur ad proprium finē alterius, & differant proprio fine, ut se habent equestris, ac pedestris: & quia Theologia habet se primo modo, non secundo, nihil concludit obiectio contra traditam doctrinam.

Ex dictis facile solvuntur argumenta in contrarium: in primis fundamentum Durandi supponit opus meritorium esse subiectum Theologiæ, cuius oppositū ostendi tract. 3. cap. 3. Deinde Theologiam nō esse certiorē scientiis naturalibus, quod tamē nō esse verum simpliciter constat ex dictis cap. præced. Alia argumenta sic dilue. Ad primum dicendum est Theologiam ea ex parte, qua deficit à vera ratione scientiæ propter suam inevidentiā, esse secundum quid minus nobilem naturalibus, præstare vero ea ex parte, qua convenit, hoc est ratione certitudinis, quæ in ipsa est maior, ut dictū est cap. præced. certitudo verò, cum sit firmitas penes veritatem, confert maiorem excellentiam habitibus, & actibus, qui versantur circa verum, quā evidentia: alioquin diceremus quamvis notitiam experimentalem, atque intuitivam rei cōtingentis ratione evidentia esse præstantiorem actu fidei circa eandem rem, quod est falsum: itaque in ratione certitudinis, Theologia potest dici absolute nobilior scientiis, quamvis deficit evidentia. Secundū argumentū neganda est maior propositio: ad cuius probationem respondeo nō esse de ratione virtutis, ut feratur in obiectum materiale perfectissimo modo, quo illud est aptum natū terminare operationem: nā si illud opus esset, ex habitibus, qui habent Deum pro obiecto, sola charitas haberet rationem virtutis, ceteræ enim non attingunt Deum perfectissimo modo, quo is terminare potest operationem virtutis, & ita actus omnes religionis non essent actus virtutis, quia non accedunt ad perfectionē charitatis: assensus item supernaturales nō essent actus virtutis, quia in ratione notitiæ non accedunt ad perfectissimum modum, quo Deus agnosci potest, quæ duo sunt aperta absurda. Ex quo patet, etsi assensus Theologicus nō attingat Deum perfectissimo modo, quo ipse in se attingi potest, nō proinde excludi à ratione virtutis intellectualis, ad quam satis est ut attingat verum invariabiliter, ac certò secundum propriam rationem formalem sui obiecti: nam Aristotel. lib. 6. Ethic. cap. 3. habitus

semper veros cōstituit virtutes intellectuales, Theologia vero est habitus verus, ac certus, ut constat ex tract. 4. cap. 1. & ideo quamvis ex motivo ineidente procedat, habet modum virtutis intellectualis, imò secundum rationem, & certitudinem veritatis superat omnes scientias naturales. Solutio tertij sumi potest ex dictis: nā Theologia etiam ratione subiecti materialis, saltem quoad extensionem veritatum complexarum, quas de ipso ostendit, præstat Metaphysicæ: itemque ratione principiorum, quæ quoad certitudinem superant principia Metaphysicæ: Theologia vero ita illius principiis utitur, ut non ijs solis nitatur, sed adiuncto semper altero principio revelato, quod, cum longè præstet principiis naturaliter evidentibus, semper reddit medium Theologicum simpliciter excellentius medio pure Metaphysico. Ad quartum respondeo, non quidquid continetur sub ratione aliqua communi perfectiore, esse perfectius eo, quod continetur sub minus perfecto: fieri enim potest, ut hoc ratione propriæ speciei habeat perfectiores rationes, quibus excellat, ut per se patet in homine, qui continetur sub corpore corruptibili, & tamen est perfectior celo contento sub incorruptibili. Eodem modo Theologia etiam quatenus practica est, habet nobilior obiectum, & præstantiora principia, ratione quorum superat naturales scientias etiam speculativas. Ad ultimum eodem modo responderetur: nam operatio, quam dirigit Philosophia moralis, mensuratur secundum rectam rationem pure naturalem, ea vero, quam dirigit Theologia, regulatur secundum rectam rationem supernaturali lumine, ac principio fultam: & ita praxes utriusque, & consequenter ipsæ quoque scientiæ sunt re ipsa, & dignitate inæquales.

Supponitur, & explicatur propria, ac vera ratio subalternationis.

CAPVT V.

Post comparationem ratione certitudinis, ac dignitatis, sequitur comparatio penes modum subalternationis. Hæc vero commodè explicari nequit, nisi prius constet in quo ea consistat. Quod quia ad dialecticos spectat, ab ijs supponendum esset, nisi Doctores Theologi variè ea de re opi-

I.

narentur: ex quo etiam nata est varietas opinionum circa subalternationē Theologiae. Ea propter hoc capite ex magis communi opinione decernam, quæ nam requirantur ad veram rationem subalternationis, deinde vero ijs suppositis ostendam, quid dicendum sit de Theologia.

II.
Durand.

Durand. q. 7. prologi num. 11. & q. 8. num. 6. ad veram rationem subalternationis exigit, vt subiectum subalternantis sit verè causa efficiens, vel finalis subiecti subalternatæ. Id vero probatur tam in practicis, quam in speculatiuis: in practicis quidem, quoniam eæ sunt subordinatæ secundum fines, ita vt immediatus finis subalternatæ dirigatur vltius ad finem subalternantis, sicut videre est in equestri, militari, ciuili: nam finis equestris dirigitur ad victoriam, qui est finis immediatus militaris, & victoria ad felicitatem politicam, quæ est finis Ciuilis, in speculatiuis autem idem ostenditur: nam ad subalternantes pertinet scire propter quid ad subalternatas quia: ergo subalternans scit causam eius, quod subalternata scit, quod est. Patet consequentia, quoniam scire propter quid est scire causam, propter quam res est: cum verò tota ratio, & causa scientiæ propter quid reducat ad naturam subiecti, tamquam ad primum principium, consequens est, vt subiectum subalternantis sit causa subiecti subalternatæ, de quo habetur scientia quia.

III.

Scientiæ subalternatæ aliæ sunt practicæ, aliæ speculatiuæ, in practicis autem duplex modus subalternationis considerari potest: alter secundum subiectum, aut principia quomodo accipit Aristot. lib. 1. Posteriorum text. 30. vbi nonnullas practicas docet subalternari speculatiuis, quæ subalternatio non potest esse secundum fines, vt notat Fonseca, lib. 4. Metaph. cap. 1. quæst. 2. sect. 2. nam cum speculatiua non consideret finem sub ratione agibilis, non potest subalternare sibi practicas secundum ordinem ad finem, sed ratione subiecti, aut principiorum. Hic vero modus subalternationis conuenit cum eo, qui conuenit speculatiuis, & ideo non opus est vt seorsim examinetur. Alio modo subalternantur practicæ inter se secundum fines, vt tradit Durand. vbi supra num. 11. & 15. Aureol. in 1. d. 48. q. vn. art. 3. Hispal. quæst. 1. prologi, art. 3. notab. 1. Heru. q. 6. s. *Quantum ad primum.* Nicolaus Bonettus. lib. 2. Metaph. cap. 6. Iauell. lib. 1. Metaph. q. 2. & Fonseca vbi supra, cum scilicet fines subordinantur, ita vt finis vnus dirigatur ad finem alterius: quæ doctrina sumitur

ex Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 1. vbi cum habitum, cuius finis vltius refertur ad finem alterius, sub altero esse dicit, quibus verbis, lib. 1. Poster. citato vocat scientiam subalternatam, nempe eam, quæ est sub altera: & adhibet ibidem exemplum frenofactoriæ, & reliquarum: quæ arma fabricantur, & subordinantur equestri, hæc militari architectonicæ, hæc vero ciuili, vt ibidem explicat D. Thomas lect. 1. & secunda secundæ, quæst. 23. art. 4. ad secundum. Huius vero ratio est, quoniam finis in practicis habet se tamquam principium in speculabilibus, & quæ est dependentia conclusionum speculatiuarum in scientijs subalternatis à principijs subalternantium, eadem ferè est dictaminum practicoarum scientiarum subordinatarum ab intentione finis vltimi ad quem omnes diriguntur.

Loquendo igitur de subalternatione practicarum ratione finium dico primum. Ad subalternationem practicarum non requiritur per se vt subiectum subalternantis sit causa subiecti subalternatæ: requiritur tamen, vt finis huius sit causa finalis subiecti, ac finis illius. Quoad priorem partem facillè exemplis probatur: nam victoria non est propter gubernationem ipsam politicam, quæ est subiectum scientiæ ciuilis architectonicæ: sed propter pacem, vt est pars felicitatis politicæ, atque vniuersalis, & ad hunc finem per se respicit: & ita quamuis subiectum, & finis immediatus interdum coincidant, & tunc ars subalternata sit propter finem, qui est alterius subiectum, quemadmodum frenofactoria est propter ipsum equitandi vsum, qui est subiectum equestris, tamen non semper practicæ subordinatæ sunt propter subiectum, vel immediatum finem subalternantium, vt constat in militari, ac Ciuili, præsertim cum ipse vltimus imperandi, & gubernandi Rempublicam præcedat vsum militaris: quod fieri nō posset, si militaris per se ordinaretur ad ipsum. Dixi vero tantummodo requiri, vt finis vnus sit causa finalis subiecti, ac finis alterius, quoniam in hac habitudine per se consistit ratio huius subordinationis, vt sumitur ex Aristot. citato, ac ratione: quandoquidem principia harum scientiarum per se sumuntur à fine, in ordine ad quem adaptari debent media, quæ sunt operationes, vel opera, de quibus tamquam de subiectis agunt practicæ subordinatæ: nomine verò subiecti non intelligo materiam ex qua, sicut se habet ferrū comparatione artis effectricis armorum, sed opus ipsum, vel

operatio-

Aristot.

Fonseca.

Durand.

Aureol.

Hispalens.

Hermens.

Bonettus.

Iauellus.

Fonseca.

operationem, quæ sit ab arte, & ita arma sunt propter vsum militaris, vsum propter victoriam, & sic in cæteris.

V. Dico secundum. Ad rationem subalternationis scientiarum speculatiuarum non requiritur, vt subiectum subalternantis sit causa finalis, vel efficiens subiecti subalternatæ. Hæc est communis contra Durand. Fundamentum est, quoniam Philosophus 1. Posterior. t. 30. inter subalternantes numerat quoddam Mathematicas: hæc vero secundum sententiam eiusdem non considerant causam efficientem, ac finalem, sed solam formalem: atque adeo ad ipsarum subalternationem nihil refert, vtrum subiectum subalternantis sit causa finalis, vel efficiens subiecti subalternatæ: siquidē hic modus causæ nō consideratur à Mathematico, nec ratione eius dicitur scire propter quid. Idque euidenter cernitur in exemplis adductis ab Aristotele, de cuius sententia musica subalternatur arithmetica, & perspectiua geometrica: nec tamen numerus, qui est subiectum arithmeticae, est causa efficiens numeri sonori, circa quem versatur musica: neque item quantitas continua, vel linea, quæ consideratur geometra, est causa efficiens lineæ visualis, quæ est subiectum perspectiua. Huic argumento respondet Durand. q. 7. nu. 10. id, quod communiter dicitur lineam visualement esse subiectum perspectiua, nō sic esse intelligendum, quasi sit reuera subiectum, hoc enim censet esse visionem: sed quia perspectiuus agit de visione cōsiderando modos, rationes, ac passionēs eius, secundum quas linea, vel quantitas est vario modo visa. Quæ solutio in primis accommodari nequit subiecto musicae, perspicuum enim est numerum nullo modo esse causam finalem, vel efficientem numeri sonori. Deinde est absolutē aliena à mente Philosophi, communis sententia, & ratione à mente Philosophi, quoniam Aristot. subalternas appellat eas, quæ ita se habent vt subiectum ipsarum, alterum subaltero sit: hoc autem nō intelligitur ratione solius causalitatis: ergo, cum subdit, vt perspectiua ad geometriam, nō significat subiectum huius esse causam subiecti illius. Assumptio constat, quoniam Philosophus ibidem medicinam, & geometriam numerat inter scientias, quarum vna nō est sub altera: & tamē geometria dicit propter quid eius, quod medicina dicit quod est: ergo licet ex eo, quod vna scientia sit propter quid, altera quia sequeretur subiectū vnius esse causam subiecti alterius, nō propterea fatesset, vt sint inuicem subalternatæ: quare nō propterea Aristot. perspectiuam ait es-

se sub geometria, quod magnitudo, siue linea sit causa visionis. Et ita communis sententia nō visionem, sed lineam visuale constituit proprium subiectū perspectiue, sicut musicae subiectū est numerus sonorus, ita S. Thom. opusc. 42. c. 14. Aegy. in prologo, 2. p. primæ partis principalis, q. 1. art. 1. Henr. art. 7. q. 4. Aur. vbi supra & q. 1. prologi, art. 1. dū agit cōtra tertium dictum S. Thom. Bassol. q. 6. art. 3. §. vlt. Capreol. q. 1. art. 2. ad 7. Durandi contra 2. Conclusiōnem, Lincon. in 1. post. tex. 30. & alij cōmuniter. Denique ratione idē ostēditur, quoniam visio secundum se habet alia principia, ex quibus cognoscitur in Philosophia naturali, neq; habet passionēs æqualitatis, inæqualitatis, proportionis, & similes, quæ in perspectiua demonstrantur de linea visuali per principia sumpta à geometria: quare nequit esse subiectum perspectiua.

S. Thom.
Aegy.
Henric.
Aureol.
Bassol.
Capreol.
Linconiens.

VI. Ex dictis facillē dissoluitur fundamentū Durandi. Nā ex eo, quod subalternans sciatur propter quid, subalternata vero quia, rectē quidē sequitur subalternantē scire causam eius, quod subalternata scit quia: nō tamen sequitur hanc causam necessario debere esse subiectū subalternantis: potest enim esse aliqua eius passio, exempli causa hanc propositionem: *vulnera circularia tardius curantur*, Chirurgus scit quia, geometra propter quid: nec tamē causa eius, quod Chirurgus scit quia, est subiectū ipsum geometriae, sed quædā passio circuli, nempe quod eius partes magis distent ab inuicem, quā partes aliarū figurarū: Ex hoc enim sequitur tardius coire, & cōsequenter tardius sanari. Itē effectus, quē scit Chirurgus, nō est subiectum ipsius, sed quædā eius passio: subiectū enim eius est corpus vulneratū per sanandum: effectus vero qui ab ipso scitur quia, est corpus effectū vulnere circulari tardius, ac difficilius curari. Et quod in hoc exemplo patet, in ceteris quoque potest euenire: itaque nō necessario sequitur subiectum scientiæ propter quid esse causam subiecti quia: Et quāuis hoc admitteretur, nō requiritur vt sit causa finalis, vel efficiens, sicut cōtendit Durand. nō solū enim per has duas causas scitur propter quid, sed etiā p alias: vt enim ait Aristot. vbi suprā, Geometra, ac Arithmetici sciunt propter quid: qui tamē causam finalem, aut efficientem minimē cōsiderāt.

VII. Exclusa sententia Durandi conueniunt ceteri Doctores communiter in prima, ac præcipua proprietate scientiæ subalternatæ: nempe vt sit de subiecto aliquo modo eodem: constat autem ex subalternatis, quas Aristot. recensuit: nam perspectiua, quæ subalternatur altimetriæ, conuenit

cum

*Aegy.
Henric.
Aureol.
Sonicina.*

cum illa in eodem subiecto, nempe linea, item musica cum arithmetica in numero, licet aliquid addant. Verum subiectum potest esse idem bifariam, nempe vel omnino idem, vel cum addito: Et quidem Aegy. Henr. Aur. Hispal. ubi proxime Soncin. q. 1. prologi, conclusionem 2. & lib. 4. Metaphysicae, q. 9. & aliqui recentiores existimant de ratione scientiae subalternatae non esse: ut subiectum eius addat aliquid subiecto subalternantis: sed dari veram rationem subalternationis, si una scientia cognoscat quia de eodem omnino subiecto idem prorsus, quod alia scit propter quid. Quae opinio suaderi potest, quoniam Aristot. non aliud assignat discrimen inter subalternantem ac subalternatam, quam quod haec sciat quia, illa propter quid. Hoc ipsum probat Henric. in machinativa, & navali: quarum haec subalternatur astrologiae, illa stereometriae hoc est parti illi geometriae, quae agit de corpore, siue de solidis: nam navalis, & astrologia considerant idem, videlicet coniunctionem astrorum in praesagium tempestatis, aut tranquillitatis futurae, quam Astrologus cognoscit per rationem, & causam illius, atque adeo propter quid; Nauta vero solum per sensum, atque experientiam, ut signum tantum illius, & consequenter quia. Item stereometria considerat per rationem, & causam, modum constructionis aedificiorum ex corporibus solidis, quam machinativa, siue imaginativa, ut vocat Aristot. considerat per executionem operis ex consuetudine operandi, & ita penes subiectum nullum est omnino discrimen, sed solum penes modum sciendi easdem veritates de eodem subiecto.

VIII.

Dico tertium. Nec pertinet, nec sufficit ad veram rationem subalternationis, ut eademmet veritates formaliter sciuntur a subalternante, & subalternata. Ita expresse docent Scot. q. 3. prologi in quinta lateral. §. ultimo cum interpretibus, Bassol. q. 5. art. 1. §. *Contra istam*, & q. 6. art. 3. §. *De subalternatione eius dico*, Aquilan. q. 3. art. 1. Toletan. q. 2. art. 3. Conclusionem primam contra S. Thom. ex Lincon. in 1. Poster. text. 30. & est sententia omnium, quos mox referam docentium subiectum subalternatae scientiae addere differentiam accidentalem subiecto subalternantis. Prior pars potest inductione ostendi: nam scientia quatenus coercetur limitibus proprii obiecti formalis, scire nequit veritates eas, quae necessario extrahunt subiectum materiale a propria ratione formali: at veritates eas, quae sciuntur quia a subalternatis extrahunt subiectum a ratione formali subalter-

nantis: quare fieri nequit ut subalternans per se proprie, ac formaliter sciat easdem veritates, quas subalternata sciunt quia: Assumptio constat in ipsidemmet scientijs, quae in exemplum proferuntur ab Henrico: Erenim stereometria, utpote Mathematica speculativa, abstrahit a materia sensibili: machinativa vero nequaquam, sed considerat corpora solida coniuncta cum qualitatibus naturalibus requisitis ad materiam aedificij. Item astrologia considerat coniunctiones astrorum secundum numerum, ac proportionem, neque curat de ullis qualitatibus naturalibus, aut apparentijs, quae cum eiusmodi coniunctionibus considerantur a nauta tamquam prognostica tempestatis futurae: non enim nauta habet rationem solummodo coniunctionis planetarum, sed colorum, affectionum & aliarum circumstantiarum, ex quibus omnibus sumit inditia tempestatum. Itaque neque stereometria scit formaliter, quomodo aptari debeant corpora gravia, aut levia, dura, aut mollia, aspera, aut teresa ad substructionem aedificiorum, quod tamen scit machinativa: neque Astrologus scit sub qua apparentia luna in plenilunio, aut nouilunio sit signum tempestatis. Non sufficere vero probatur, quoniam Aristot. eo ipso cap. ostendit diversitatem sciendi quia, & propter quid in eadem scientia, ac diversis, si vero sola diversitas penes siue quia, & propter quid sat esset ad rationem scientiae subalternatae, ac subalternantis, eadem scientia non sciret quia, & propter quid, sed semper scire quia pertineret ad diversam scientiam ab ea, cuius est scire propter quid. Itaque discrimen illud traditum ab Aristotele nimirum quod subalternans sciat propter quid, & subalternata quia, idem est, ac si dicatur subalternans scire causam eius effectus, quem esse agnoscit subalternata, ad quod nequaquam requiritur, ut subalternans sciat ipsum effectum in se, quem scit subalternata; quod patet ex dicto Philosophi eodem capite asserentis, etiam earum scientiarum, quarum una sub altera non collocatur vnam scire propter quid, alteram quia, qua ratione geometra scit propter quid vulnera circularia tardius curantur, quod medicus scit quia, at vero ad geometram non spectat scire vulnera tardius, vel citius curari. Et ita, quamvis sciat partes circuli plurimum inter se distare, quae est causa difficilis curationis vulnerum circularium, non tamen formaliter scit hanc propositionem vulnera circularia tardius curantur, quamvis scire eam possit descendendo ad ma-

teriam

*Scot.
Bassol.*

*Aquilan.
Toletan.
Linconienf.*

teriam subalternatam. Ex his patet respon-
sio ad fundamenta oppositæ sententiæ: nã
Aristot. licet dixerit subalternantem sci-
re propter quid, subalternatam quia, non
dixit in eo consistere propriam rationem
formalem scientiæ subalternantis, ac sub-
alternatæ, cum eiusmodi rationem admi-
serit eodem capite in scientijs non subalter-
natis, siue omninò diuersis, siue pertinen-
tibus ad eandem scientiam totalem. Exem-
pla vero, quæ adducuntur, potius fauent
sententiæ traditæ, quam oppositæ.

IX.

LXXII.

Verum, priusquam declararem requira-
turne ex parte subiecti aliqua additio, &
qualisnam esse debeat, oportet expendere
prius opinionem Caietani, qui quoad ipsam
conclusionem sentit cum Ægyd. & Henr.
ex alio tamen fundamento. Is itaque r. p.
quæst. 1. art. 2. §. *Circa hanc distinctionem*,
concedit quidem plures conditiones inter-
uenire in scientia subalternata, tamen cæ-
teras, verbi gratia, quod sciat quia, quod
addat conditionem accidentariam subiecto
subalternantis, etsi quæ aliæ sunt, esse per
accidens: per se verò eam solam, quæ D.
Thomas subalternatam distinguit à subal-
ternante, nempe quod subalternans non
sumit, sua principia ex alia, sed proprio lu-
mine penetrat, subalternata vero sumit ex
alia. Scientiæ, inquit, omnes conueniunt in
eo, vt habeant conclusiones visibiles in
alio, hoc est in principijs, à quibus omnes
necessariò oriuntur, & ita nec subalter-
nans, nec subalternata habet euidenciam
Conclusionum in se ipsis, sed in principijs
ex habitu intellectus. Differunt vero, quo-
niam Conclusiones subalternantis sunt vi-
sibiles immediatè ex, & in principijs abs-
que interuentu alterius habitus: Conclu-
siones vero subalternatæ mediatè, quia
inter ipsas, & principia prima interiacet
habitus scientiæ subalternantis, qui re-
spectu Conclusionum subalternatæ, habet
rationem habitus principiorum: itaque
scientiæ subalternatæ illud solùm est es-
sentiale, vt non habeat immediatam eui-
denciam ex principijs, sed interuentu al-
terius, cuius Conclusiones sumit vt princi-
pia. Ex quo plura infert corollaria, quo-
rum duo faciunt ad præsens institutum.
Alterum est, habitus per se principiorum
proximorū subalternatæ est habitus scien-
tificus subalternantis. Secundum, scientia
subalternans & subalternata, non necessa-
rio opponuntur ex parte subiecti, vel ob-
iecti, sed potius ex parte conditionum me-
dijs: quia scilicet medium subalternantis
immediatè coniungitur principijs per se
notis: subalternatæ vero mediatè, median-

te scilicet habitu alterius speciei. Deinde
verò aduertit in propria illa ratione subal-
ternationis duo concurrere. Primum est
ineuidencia in se, hoc est negatio euiden-
tiæ ex terminis cum euidencia ex, & in
alio, hoc est cum euidencia habita per
discursum ex principijs: secundum est me-
diatio principiorum proximorum, quæ est
causa illius ineuidentiæ in se. Ex quibus
primum, inquit, est formale & semper om-
ninò requisitum: si enim saluari posset illa
ineuidencia cum visibilitate in alio absque
mediatione, nihilominus subalternare-
tur illi.

Dico quartum. Ad rationem veræ, ac
propriæ subalternationis requiritur, vt sub-
iectū subalternatæ addat aliquid subiecto
subalternantis. Hæc est communis, vt con-
stat ex Doctoribus infra citandis. Colli-
gitur apertè ex Aristotele lib. 1. Poster.
text. 30. vbi ostendere volens, quomodo
demonstratio quia & propter quid, ad di-
uersas scientias pertineant, distinguit duo
genera scientiarum differentium: alterum
earum, quarum vna sub altera collocatur,
quam interpretes, & ceteri Doctores sub-
alternatam vocant, alterum earum, quæ ita
se nō habent: & omnes sub priore membro
numeratæ ab Aristotele addunt aliquid
subiecto subalternantium. Deinde verò
inter non subalternatas numerat eas, qua-
rum subiecta ita se habent, vt vnum non
contineatur sub altero, & nihilominus vna
scit quia, altera propter quid: etsi prior
demonstrare velit, sumere debet principia
à posteriore. Ex quo colligitur de ratione
subalternatæ esse, vt subiectum eius addat
aliquid supra subiectum subalternantis. Et
hoc ipsum indicant verba ipsa Aristotelis,
quæ sic habent: *alio autem modo differt propter
quid ab ipso quia, quod est per aliam scientiam
vtrumque speculari: huiusmodi autem sunt quæ-
cumque, sic se habent adinuicem, quod alterum sub
altero est*: Ex quorum verborum contextu
patet, cum Aristoteles ait: *alterum sub altero
est*, loqui de obiecto, siue subiecto ipso
scientiæ quia, & propter quid, & velle vt
alterum sub altero sit: si verò vnum nihil
addat super aliud, erit omninò idem, ideo-
que non poterit alterum sub altero conti-
neri. Præterea Aristoteles ibi peritos scien-
tiarum subalternantium appellat simplici-
ter Mathematicos, peritos verò subalter-
natum appellat sensibiles: hæc vero diuer-
sitas appellationum non aliundè prouenit,
quàm ex eo, quod subalternatæ addunt sub-
iecto subalternantium aliquid sensibile,
verbi gratia perspectiua altimetriæ visua-
e, musica Arithmeticæ rationem soni.

X.

Aristot.

Verum

XI.

S. Thom.

Verum hæc additio, ut notat S. Thomas opuscul. 42. cap. 14. & lib. 1. Poster. lect. 25. & Heruæus, quæst. 6. prologi. §. *Quantum ad primum*, dupliciter fieri potest: vel ita ut subiectum vnius sit species subiecti alterius, sicut animal est species corporis naturalis: & ideo scientia de animali, est sub scientia naturali: vel ita, ut subiectum inferioris addat aliquid materiale subiecto superioris, sicut se habet perspectiua ad Geometriam: nam hæc est circa lineam, & alias magnitudines, illa vero circa lineam visuale: visualis verò non est species lineæ, sed conditio materialis, & de hoc modo additionis ait D. Thomas ubi supra, loqui Philosophum eo loco: Ex quo colliguntur conditiones necessariae ex parte subiecti scientiæ subalternatæ contentæ sub subiecto subalternantis, & illud contrahentis; prima est, ut non sit differentia essentialis contrahens superius ad constitutionem vnius per se, sed aliquid extrinsecum subiecto subalternantis, & cum illo constitutus compositum per accidens. Ex huius defectu, partiales scientiæ de particularibus generibus, aut speciebus corporis naturalis non subalternantur physiologiæ, quatenus agit de ente mobili. Quam esse communem sententiam Philosophorum, & Theologorum docet Lychetus, quæst. 3. prologi in fine, quod dupliciter fit, ut notat Henr. in summa art. 7. quæst. 4. vel ita, ut additamentum habeat se per modum formæ, ut se habet visuale ad lineam: nam coloratum, siue lucidum, ex quibus coalescit visuale, habent rationem formæ respectu quantitatis, vel per modum materiæ, ut se habet sonus ad numerum: nam numerus contractus ad sonum quasi materialiter determinatur ad vnum genus rei, & quemadmodum numerus hominum, & animalium materialiter tantum distinguuntur penes numerata, ita numerus sonorum materialiter contrahitur, ac distinguitur ab alijs numeris: secunda conditio additamenti est, ut non conueniat per se subiecto scientiæ subalternantis, quod Ægydius in prologo, in 2. p. primæ principalis, quæst. 1. art. 1. intelligit, cum ait non debere causari per se ab illo: nam, si per se in sit subiecto subalternantis, ex ipsius principijs sub eadem abstractione demonstrari poterit, atque adeo pertinebit ad eandem scientiam, sicut cæteræ proprietates, quæ per se insunt illi subiecto, nec poterit conflare rationem aliam subiecti, quod rectè expressit D. Bonaventura, q. 2. prologi ad secundum cum dixit non quamlibet determinationem trahentem subiectum in partem,

Lychet.

Henric.

Ægyd.

S. Bonavent.

hoc est contractum subiecti efficere subalternationem; sed determinationem distrahentem, hoc est exuentem subiectum propria abstractione, & ratione formali, subalternantis, & inducentem illi nouum modum abstractionis, & rationis formalis: nam scientia, inquit, de linea recta non dicitur subalternari Geometriæ, sed scientia de linea visuali: nempe quia linea recta continetur sub abstractione Geometrica, linea verò visualis aliquo modo extrahitur ab illa sumens nonnihil de abstractione Philosophiæ naturalis: rectitudo est per se passio, vel saltem altera pars disiectiue passionis, quæ in Geometria demonstratur de linea; at ratio visualis non est per se passio lineæ, nec de ea in Geometria demonstratur. Albert. lib. 1. Poster. tractat. 3. cap. 7. ex communi sententia has duas conditiones requiri docet, & ex ipso Louanienf. & Colonienf. in commentar. tractat. 4. lib. 1. Poster. Chrysostom. Iauell. tom. 1. tractat. 11. de Syllogismo demonstratio, cap. 7. & lib. 1. Metaph. quæst. 2. Fonseca, lib. 4. Met. cap. 1. quæst. 2. sect. 2. Molin. 1. p. quæst. 1. art. 2. disp. 3. & Bonettus ubi supra, & alij: tertia est ut ex eiusmodi conjunctione resultet aliqua per se scibilitas subordinata scibilitati superioris scientiæ: qualis reperitur in subiecto musicæ, ac perspectiue. Defectu huius de linea alba, & de numero saporum, non est vlla specialis scientia subalternata Geometriæ, vel Arithmeticæ, quoniam linea alba, quæ alba, non habet speciales proprietates, aut rationem scibilitatis: sicut linea visualis, nec numerus saporum, sicut numerus sonorum.

Motuum Caietani non est firmum: nam qua facilitate ipse ait per accidens se habere ad rationem scientiæ subalternatæ, ut subiectum eius addat aliquid supra subiectum subalternantis, eadē negatur iuxta veriore, & communior sententiam, & magis conformem doctrinæ Aristotelis, ex quo sumpta est distinctio scientiæ subalternatæ, ac subalternantis: Et ita sola ratio inevidentiæ in se, atque ex se cum euidentiæ ex, & in alio, non sufficit ad veram rationem subalternationis: An vero vtræque necessaria sit, mox dicendum: huius enim quæstionis solutio pendet ex alia, nimirum vtrum opus sit, ut subalternata recipiat principia à subalternante: si enim hoc opus non est, absque euidentiæ ex alio potest coherere ratio scientiæ subalternatæ. Partem negantem asserunt Ægyd. & Henric. ubi supra: nam quamuis non negent aliquas subalternatas sumere princi-

pia à

pia à subalternantibus, tamen aiunt id non esse simpliciter necessarium, vt putant rem se habere in nauali, & machinatiua. Non enim Nautæ vtuntur principijs astrologiæ, vel architecti stereometriæ.

Dico quintum. Ad rationem subalternationis, opus est vt subalternata sumant principia à subalternantibus: Ita docent Bassol. quæstion. 5. prologi. §. penultim. ad quintum argumentum, & quæst. 6. art. 3. §. vltimo. Argent. quæst. 2. art. 3. Toletan. quæst. 2. art. 3. conclusio 1. contra Sanctum Thomam. Paulus Venetus in 1. Posterior. t. 30. Hispanens. Colonienf. Iauell. & Fonseca citati, quod non est ita intelligentium, quasi necesse sit, vt subalternata vtantur iisdem principijs, quibus subalternantes, hoc enim fieri non potest, iam enim ex propria facultate demonstrarent propter quid, cuius oppositum docet Aristotel. sed vt bene notat Caietanus debet intelligi ita, vt conclusiones subalternantium assumantur, vt principia subalternatarum: qua ratione se habet proportio illa geometrica, *partes circuli tardius coeunt inter se, quam partes aliarum figurarum*, ad illam, *vulnera circularia tardius curantur*: nam prior illa non est principium in geometria, sed conclusio demonstrata. Item tali die fore hanc, vel illam solis ac lunæ oppositionem, vel coniunctionem, non est principium, sed conclusio in astrologia, quam tamen naualis sumit vt principium, ex quo simul cum apparentijs alijs diuinat; quæ futura sit tempestatum ratio, aut varietas, iuxta quam cursum suum moderatur. Non item, sicut notat Henric. vbi supra quæst. 5. ad 3. fat est, vt subalternata sumat vnum vel alterum principium à subalternante: sed intelligi debet de vniuersali ratione principiorum, quæ subalternata sumit à subalternante, carens proprijs, vt videre est in perspectiua, cuius demonstrationes omnes resoluuntur ad principia geometriæ: & in musica, quæ non procedit aliter, quam ex principijs arithmetice. Defectu huius medicina non proprie subalternatur geometriæ, vt patet ex Philosopho, qui lib. 1. Posterior. ostendere volens etiam inter scientias non subalternatas alias scire, quia, alias propter quid, vtitur exemplo medicine ac geometriæ. Vnde patet lapsum fuisse Aureol. vbi supra, quatenus docet ex sententia Aristotel. medicinam proprie subalternari geometriæ. Neque item Philosophia naturalis subalternatur perspectiue: & tamen medicina supponit aliquod principium geometriæ & naturalis Philosophiæ, quatenus a-

git de iride, supponit principia perspectiue; non tamen subalternantur, quia principia eiusmodi non descendunt in totam scientiam.

Verum adhuc vna superest dubitatio: nam si subalternata non sumunt principia ipsa subalternantium, sed conclusiones, aut eas sumunt ex sola fide, & hoc modo non erunt scientiæ: aut ex demonstratione eadem, qua vtuntur subalternantes, & tunc iam scient propter quid, cuius oppositum, ait Aristotel. aut ex sensu atque experientia, & hoc modo non dicentur verè sumere principia ex alijs, sed habere à semetipsis: nam experientia, quæ circa sensibilia obiecta versatur, magis pertinet ad subalternatas, quæ inuoluunt ex parte subiecti aliquid sensibile, quam ad subalternantes, quæ abstrahunt à materia sensibili. Circa hanc difficultatem variè opinatur Doctor, quos retuli tractat. 4. cap. 6. Nam Capreol. & alij putant, fat esse si principia sint per se nota superiori scientiæ, & ita non exigunt aliud, quam vt supponantur ab ipsa: sed hunc modum dicendi iam supra refutauimus, quoniam destruit veram rationem scientiæ, & traducit ad genus assensus obsecuri geniti ex fide humana. Alij volunt, vt continuetur cum superiore scientia, hoc est, vt sumpta conclusione iam demonstrata à superiore scientia procedatur ad conclusiones inferioris: quod contingit, si idem homo sit peritus verbi gratia altrimetriæ ac perspectiue, nam quatenus geometria scit propter quid conclusiones altrimetriæ ac perspectiue, quatenus perspectiue ex ijs deducit conclusiones circa lineas visuales: verum tamen, quoniam in ipso propter coniunctionem vtriusque scientie, vna continuatur alteri, verè scit propter quid, sed hic etiam modus, vt dixi, per se non requiritur ad rationem scientiæ subalternatæ. Denique alij volunt vt eadem conclusiones, quæ in subalternantibus demonstrantur, aut demonstrari possunt, sint principia in subalternatis, accedente aliqua experientia sensuum, ex qua moueatur intellectus ad assentiendum euidenter propositioni: quam proinde deinceps sumit vt principium: sicut in chirurgia experientia comperitur vulnera circularia tardius curari, quod deinde in vfu medicandi sumitur vt principium: item naualis experimēto deprehendit, quando hæc, vel illa astræ fieri tales motus in aere, vel mari: idq; deinceps adhibet vt principium ad suam sententiam. Inter has sententiæ illa mihi distinctio placet, vt dicam ad vsum subalternatarum.

XIV.

Capreolm.

per se non requiri, ut sciant causas ac rationes principiorum, neque etiam ut teneant demonstrationes, quibus ostenduntur à subalternantibus. posse nihilominus id facere ex cōtinuatione cum eisdem, per se verò requiri, ut principia, quæ à subalternantibus supponunt demonstrata experientia aut ratione aliqua à posteriore, euidenter intelligant, alias nullo modo erūt scientiæ.

XV.

Ex dictis constat ad rationem subalternatæ non esse satis inevidentiā in se cum euidentia in alio, absque mediatione principiorum, ut vult Caietan. Sed requiri, ut principia, quatenus per se assumuntur à subalternata, non sint per se & in se euidenter cognita à priore, possint tamen ita cognosci ex principiis subalternantis: & præterea ut sit de subiecto contrahente accidentaliter subiectum subalternantis: nam si sufficeret inevidentiā in se, & euidentia in alio, chirurgi subalternaretur geometriæ: quod est contra Philosophum, si verò respondeat non sequi, quoniam nullo modo est de eodem subiecto, concedere debet satis esse ad subalternationem, ut duæ scientiæ versentur circa idem obiectum, si adit conditio regulationis seu euidentie in alio: quod præterquam quod sit contra mentem D. Thomæ & Aristotelis, facile impugnatur, quoniam hoc dato sequitur notitiā discipuli assentientis principio, aut cōclusioni ex sola auctoritate magistri habentis euidentiam illius esse subalternatam scientiæ magistri: quod licet concedat Capreol. ubi supra est apud omnes alios inauditum, ut notat Durand. q. 7. prologi. n. 6. & bene refutat Aureol. q. 1. ar. 1. dum impugnat sententiā D. Thomæ ad fin. & in 1. d. 48. q. vn. ar. 3. neq; habet vllum fundamentum in doctrina Aristotelis, aut D. Thomæ, qui semper recurrit vel ad subiecti additionem, vel ad principia, quæ subalternata sumit subalternante: in hoc verò casu non est sumptio alicuius principij & deductio conclusionis, sed mera fides habita enūtiationi propositæ à magistro. Deinde si ad rationem subalternatæ sit esset inevidentiā in se, & euidentia in alio, omnes demonstrationes post primam de subiecto scientiæ subalternantis haberēt veram ac propriam rationem scientiæ subalternatæ: id verò falsum est, nemo enim vnquam dixit demonstrationes geometricas pertinere ad scientiam subalternatam. Id autem sequi perspicue ostenditur: nam conclusio secundæ demonstrationis est ineuidēs in se, hoc est nō ex terminis, & habet immediate euidentiam ex, & in principiis primis: ergo assensus illius hoc modo genitus erit particeps propriæ ac veræ rationis

Capreolus.
Durand.
Aureol.

scientiæ subalternatæ, nec responderi potest assensum eiusmodi esse euidentem in se, vel enim significat ipsum esse formaliter euidentem per medium terminum vel ex terminis: hoc secundum est falsum, ut patet: primum non tollit rationem inevidentiæ in se, quæ est propria scientiæ subalternatæ, siquidem per cōiunctionem cum subalternante potest fieri euidentis, hoc est euidenter attingens suum obiectum, & manere in ratione subalternata, ut admittit idem Caietan. respondetur iterum eam euidentiam nō esse propriam subalternatæ, sed sumptā à subalternante: & ideo adhuc subalternatā posse dici inevidentiā in se, nō verò subalternantem: quæ euidentiam non aliunde mutuatur: Sed contra vel intelligitur eiusmodi euidentiam nō esse formaliter ipsius scientiæ subalternatæ, vel non esse ab ipsa effectiue ac radicaliter. Primum est falsum, nulla enim notitia est euidentis formaliter per euidentiam superioris scientiæ: secundum quoque dici debet de scientiæ subalternatæ cuius euidentia effectiue & radicaliter non est ab ipsa, sed ab eius principiis: quare nullo modo dici debet ad rationem scientiæ subalternatæ sat esse inevidentiā in se cum euidentia in, & ex alio. Deniq; requiri mediationem principiorum facile ostenditur, quoniam ea sublata intelligi nequit additamentum subiecti vnius ad subiectū alterius. Præterea si inter cōclusiones subalternatæ, & principia prima subalternantis nihil mediat, iam subalternatæ propriæ, ac per se scientiæ propter quid, & nō erūt eius principia cōclusiones subalternantis: cuius oppositū omnes, imò & ipse Caietan. docet: sed principia eadem erunt vtriq; communia. Imò verò, ut paulo antè argumētabar, eademmet propositio cognita ab vno inevidenter in se habebit rationē notitiæ subalternatæ, & cognita ab alio euidenter habebit rationem notitiæ subalternantis, quod est absurdum.

Colligendo itaq; ex dictis ea, quæ per se necessaria sunt ad rationem scientiæ subalternatæ. Primum est ut sit de subiecto aliqua ratione eodem cum subiecto subalternantis. Secundum, ut sit de subiecto minus latè patente, & addente conditionem aliquam accidentiā subiecto subalternantis. Tertium, ut ex cōiunctione illa resultet aliqua scibilitas seu ratio formalis diuersa à ratione formali subalternantis, sub qua speciales proprietates sciuntur formaliter in subalternata: quarum formalis notitia per se nō pertineat ad subalternatam. Quartū deniq; ut subalternata sub propriæ scibilitatis terminis nō resoluat euidenter conclusiones

suas

XVI.

suas in prima principia, quorum cognitio per se spectat ad subalternantem: quas conditiones Caiet. li. i. Post. t. 30. fusè explicat consentiēs cum cōmuni sentētia, vt mirum sit quomodo i. p. sui oblitus, oēs ferè tanquam accidentarias reiecerit præter vltimam. Quāuis autem ad verā subalternationem hæc omnia requirantur, nonnunquam, ppter participationem aliquā ipsarū dicuntur scientiæ subalternatæ minus propriè, quamuis non oēs has conditiones exactè retineat: Duo verò modi sunt frequentiores: alter, què tradunt Durand. q. 8. prologi. Iauell. li. i. Met. q. 2. Louaniēf. & Molin. vbi supra cūm scientia agit de subiecto inferiore, quamuis non addat subiecto superioris conditionem accidentariam, sed essentialē, quomodo nonnunquam dicitur scientiæ aliæ naturales subalternari Metaphysicæ: alter ratioe principiorū, quomodo scientiæ naturales dicuntur subalternari eidē Metaphysicæ, à qua probantur ipsarū principia, sed de his satis: iam videndum vtrum Theologia respectu alicuius scientiæ sit subalternans, aut subalternata.

Theologia propriè, ac simpliciter nulli scientiæ subalternatur, secundum quid autem subalternatur beatæ, & nonnullis naturalibus.

CAP. VI.

I. **E**xplicata propria notione scientiæ subalternatæ iuxta sententiam Arist. & cōmunem, faciliè erit ad institutum applicare comparando Theologiam nostrā in primis cum diuina atq; beatā, deinde cum sciētijs naturalib. Partem verò, quæ asserit Theologiam nostrā subalternari diuinæ ac beatæ, defendūt Thomistæ. Capreol. q. 1. prologi. ar. 1. conclus. 2. & ar. 2. ad argumenta contra secundam conclus. Hispanēf. q. 1. ar. 1. conclus. 2. & ar. 4. ad argumenta cōtra eandem conclus. Soncin. q. 1. cōclus. 2. Syluest. in cōflato. q. 1. ar. 11. Caiet. & Iauell. i. p. q. 1. ar. 2. præcipuum fundamētum ipsorū est, quia sic videtur D. Tho. docuisse, nam i. p. q. 1. ar. 2. vt ibidem Caieta. interpretatur, diuidit sciētiā in subalternantē ac subalternatā, quæ à subalternante sua principia sumit: & postea theologiam collocat sub secūdo membro diuisionis: item super Boet. de Trinitat. q. 2. ar. 2. ad 5. cūm dixisset in sciētijs subalternatis supponi, ac sumi aliqua principia à subalternantibus: quæ nō sunt per se nota, nisi superiori sciētiæ, statim subiūxit: *Et hoc modo se habent articuli fidei, qui sunt principia huius scientiæ ad cognitionem diuinā, quia ea quæ sunt per se nota in*

scientia, quā Deus habet de seipso, supponuntur in scientia nostra, & ei creditur ea indicanti nobis per suos nuncios. Idem fere dicit ad 7. & q. 14. de verit. art. 9. ad 3. Ex quib. argumentatur Capreol. omnis scientia fumens sua principia ex alia, est illi subalternata, Theologia sumit per fidem principia sua à scientia diuina, vel beatā: ergo illis subalternatur.

Oppositam sententiam defendūt ceteri Doctores communiter. Fundamentum sumitur à natura & conditionib. sciētiæ subalternatæ ex parte obiecti, medij, & subiecti. Ex parte obiecti, quoniam debet addere aliquid supra subiectum subalternantis. Theologia nostra nihil omnino addit supra subiectū scientiæ diuinæ, ac beatorū: vt enim dictum est, Deus sub eadem ratione Deitatis est omnium earum subiectum. Item ex parte obiecti requiritur, vt ex additione formæ accidentariæ ad subiectū subalternantis resultet aliquæ passiones, quas per se demonstraret subalternata, nō verò subalternas: Theologia verò nostra nullas proprietates Dei cōsiderat, quæ per se nō attingantur scientia diuina, atq; beatā. Deinde verò ex parte medij, quoniam principia subalternatæ debent esse aliquo modo distincta à principijs subalternantis, ita vt, qd est principium in subalternata, sit cōclusio in subalternatē: At quæ in Theologia sunt principia per fidem, plurima pertinet ad obiectū primarium sciētiæ diuinæ atq; beatæ, & ita respectu eius nō possunt habere rationem conclusionis. Item cōclusiones subalternatæ pertinere non debent ad subalternantē: at scientia diuina & beatā extendit se ad ipsas conclusiones Theologicas. Denique ex parte subiecti; quoniam subalternas & subalternata non repugnant in eodē subiecto: idem. n. potest esse simul geometra & perspectivus, arithmeticus & musicus: at Theologia nostra coherere simul nequit cum scientia beatā, quoniam nostra est ineuidēs beatā euidens, quæ omnes ineuidentiæ tenebras ab animo depellit circa illud obiectum, quod euidenter apprehendit.

Vt hæc argumenta dissoluat Caietan. cōmentus est rationem illā scientiæ subalternatæ, quam cap. superiore retuli, negās necessitatem ceterarum conditionū, & in particulari eius, quæ exigit additamentum accidentariū ex parte subiecti scientiæ subalternatæ ad subiectū subalternantis. Hoc posito respondet ad argumenta: Ad primum quidem dicēs non esse de ratione subalternatæ, vt addat aliqd ex parte obiecti materialis, sed sat esse, vt addat ex parte formalis: sicut nostra Theologia addit rationem reuelationis: Ad secundum ait non requiri

II.

III.